10

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P Æ   V I.

A L L O C U T I O

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

Die 13. Novembris 1775.

De pretioſa morte HYACINTHI CASTANEDÆ Hiſpani & VINCENTII A PACE Tonquinenſis, Ord. Præd. Miſſionar. Apoſtolicor. in Regno Tonquini

ADIUNCTA PROMOTIONE

Emi, & Rmi D.S.R.E. Presb. Card. IOANNIS THOMÆ DE BOXADORS Dominicani Ordinis Magiſtri Generalis

ET DECLARATIONE DUORUM S. R. E. CARDINALIUM

Emi, & Rmi D. Presb. Cardinalis FRANCISCI MARIÆ BANDITI Archiepiſcopi Beneventani

Ac Emi, & Rmi Dñi Diaconi Cardinalis IGNATII BONCOMPAGNI

in Conſiſtorio ſecreto habito die 17. Julii ejuſdem Anni creatorum.



ROMÆ Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ 1775.

Digitized by Google

Digitized by Google

INTIMATIO

Facienda per Curſores etiam Domi dimiſſa Copia.

DIE 30 labentis Menſis Novembris Feria quinta, SANCTI ANDREÆ Apoſtoli Martyrio dicata, SSm̃us Dñus Noſter PIUS PAPA VI. e Palatio Apoſtolico Vaticano ad Baſilicam S. JOANNIS in Laterano, via conſueta ſollemniter equitabit.

Em̃i, & Rm̃i Dñi Cardinales *hora decimanona in puncto* in Cameram Paramentorum prædicti Apoſtolici Palatii, Cappis rubeis conſueto in loco aſſumptis, convenient.

Ideò antè ſupraenunciatam horam ad Palatium Vaticanum per Pontem Sixti, & Viam Longariam vulgò nuncupatam, veſtibus rubris induti accedent, unde Currus per præfatam viam ad Lateranum remittent.

Reliqua omnia, quæ agenda erunt, tam per Em̃os Patres, quàm per alios quoſcumque, qui hujuſmodi Solemni Sacræ actioni, in ſupraenunciatam diem à Summo Pontifice translatæ, interere debebunt, in ſchedis jam diſtributis prò diebus 19., & 21. dicti labentis Menſis fusè deſcripta, omninò ſervanda erunt.

Intimentur ideò omnes, & ſinguli Em̃i DD. Cardinales, Principes Solii, Conſervatores, Oratores Civitatum ſubditarum, aliique ſoliti.

Moneantur etiam Decani Collegiorum, tam Prælatorum, quàm Officialium, ut de præmiſſis Collegas ſuos certiores faciant &c.

De Mandato SSm̃i Dñi Noſtri Papæ

Franciſcus Diverſini Primus Cærem. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

Digitized by Google

INTIMATIO

Facienda per Curſores etiam Domi dimiſſa Copia.

DIE 30 labentis Menſis Novembris Feria quinta, SANCTI ANDREÆ Apoſtoli Martyrio dicata, SSm̃us Dñus Noſter PIUS PAPA VI. e Palatio Apoſtolico Vaticano ad Baſilicam S. JOANNIS in Laterano, via conſueta ſollemniter equitabit.

Em̃i, & Rm̃i Dñi Cardinales *hora decimanona in puncto* in Cameram Paramentorum prædicti Apoſtolici Palatii, Cappis rubeis conſueto in loco aſſumptis, convenient.

Ideò antè ſupraenunciatam horam ad Palatium Vaticanum per Pontem Sixti, & Viam Longariam vulgò nuncupatam, veſtibus rubris induti accedent, unde Currus per præfatam viam ad Lateranum remittent.

Reliqua omnia, quæ agenda erunt, tam per Em̃os Patres, quàm per alios quoſcumque, qui hujuſmodi Solemni Sacræ actioni, in ſupraenunciatam diem à Summo Pontifice translatæ, interere debebunt, in ſchedis jam diſtributis prò diebus 19., & 21. dicti labentis Menſis fusè deſcripta, omninò ſervanda erunt.

Intimentur ideò omnes, & ſinguli Em̃i DD. Cardinales, Principes Solii, Conſervatores, Oratores Civitatum ſubditarum, aliique ſoliti.

Moneantur etiam Decani Collegiorum, tam Prælatorum, quàm Officialium, ut de præmiſſis Collegas ſuos certiores faciant &c.

De Mandato SSm̃i Dñi Noſtri Papæ

Franciſcus Diverſini Primus Cærem. Apoſt. Magiſter.

Digitized by Google

Eccmo Senatore

Digitized by Google

VENERABILES FRATRES.

PLacuit Patri Miſericordiarum, & DEO totius conſolationis maximum angustiis noſtris levamen afferre. Meminiſſe VOS, VENERABILES FRATRES, non dubitamus, quanta formidine animique trepidatione graviſſimum Pontificiæ Dignitatis onus, in hac tanta præſertim temporum perverſitate, adſumeremus. Verum Divina promiſſione excitati, Eum pro Nobis, atque Eccleſia ſua pugnaturum, qui *major ſemper eſt ad protegendum, quam Diabolus ad impugnandum* (*a*); inter tot malorum pericu-

(a) *S. Cyprian. De Exhor. Martyr. Cap. 10.*

la, inter anxietates, & amaritudines, Deo confortante, animo non concidimus, ſcientes Mundi hujus hoſpitium triſtitia, ac lacrymis eſſe refertum, nec poſſe accipi dolorum & paſsionum Coronam, niſi præcedat in dolore & paſſione conſtantia. Illius beneficio, ad cujus nutum tempora obſequuntur, elementa famulantur, vidimus inſperato copias grandeſcere Meſſium, exuberare Pomis arbuſta, Fructibus Oliveta redundare, atque ita Nobis temporalis Vitæ impertiri ſubſidia. Quanto magis, etſi irruant, aggrediantur undique hoſtes Vineam Domini, Ipſe cuſtodiet eam, ut ſtabilis & immota ſit Fides noſtra fundata ſuper firmam Petram, tamquam Sponſa innixa ſuper Dilectum ſuum.

Hujus patrocinii repromiſſionem nuper accepimus a Domino, qui intuens Catholicam Religionem innumeris agitari turbinibus, ſuſcitavit in Regno Tonquini Viros fortiſſimos, & caritate fervidos, ut proprio ſanguine de communi hoſte inſigniter triumphantes, novis Coronis Eccleſiam decorarent. Hoc eſt, quod magna Nos replet jucunditate, VENERABILES FRATRES; hoc in tanto Caritatis languore, tantaque morum

cor-

Digitized by Google

corruptione præclariſſimum eſt beneficium Eccleſiæ collatum. Hoc ipſum Vobis gaudentes annunciamus, ut ſitis noſtræ lætitiæ participes.

Litteris Venerabilis Fratris Jacobi Epiſcopi Hierocæſarienſis, Vicarii Apoſtolici in Regno Tonquini, nunciatum eſt Congregationi Noſtræ de Propaganda Fide, Miſſionarios duos ex Prædicatorum Ordine, Sacrum Apoſtolatus munus ibidem obeuntes, captos ac detentos, Catholicam Fidem in Regis conſpectu invicto animo profeſſos eſſe; ac pro ea ludibria & cruciatus perpeſſos, demum vitæ contemptores, mortis triumphatores cervicem intrepide Carnifici præbuiſſe. Eorum alteri nomen erat Hyacintho Caſtanedæ, natione Hiſpano; alteri Vincentio a Pace, Tonquinenſi. Prolixam Epiſcopi Hierocæſarienſis narrationem breviter Vobis in præſentia referemus. Cum quinque annos Hyacinthus in Tonquino intra aſſignatos ſibi fines in verbi Dei Prædicatione, in audiendis Confeſſionibus, ac in animarum ſalute ſatagenda verſatus eſſet, die undecima Julii Anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi tertii, adminiſtratis Infirmo Sacramentis, domum rediens, ab Infideli homine ſuorum Cohor-

te ſtipato, ipſum inſequente, comprehenſus, ac biduo cibi, potuſque expers, huc atque illuc pertractus ad Pro-Gubernatorem adducitur. Magna vis auri ad eum redimendum poſtulabatur, quam nemo Chriſtianorum poſſet perſolvere. Proinde in arundineam Caveam conjicitur, tam arctam, ac depreſſam, ut nec ſtandi, nec cubandi locus eſſet. Non diu poſt captus etiam Vincentius a Pace non diſſimili immanitate, ſimili Cavea incluſus eſt. Hunc in modum ambo in Regiam Civitatem deducuntur; atque, ut palam omnibus eſſet, cur ita detinerentur, cuique Caveæ inſcribitur grandioribus litteris cauſa: *Luſitanorum Legis Magiſter*: ideſt Præceptor Legis Dei, & Evangelicæ Doctrinæ. Ad Regem ipſum deducti, ac interrogati reſpondent: Summi Dei legem Gentibus a ſe annunciari, ut eidem illæ famulantes in immortali Vita glorificarentur. In hac una re ſatis ineſſe criminis putatum eſt, ut ipſi capitali ſupplicio addicerentur. Quo animo Operarios Evangelicos hæc audientes fuiſſe, quid dixiſſe, aut egiſſe arbitramini? Jeſu Chriſti Imaginem Hyacinthus manu elevans, ejus Divinitatem & incomparabilem erga homines Caritatem alta voce deprædicans, Pecc-

cato-

Digitized by Google

catorum veniam expoſcens , flagrantiſſimi erga Deum amoris actus eliciens , Apoſtolorum Symbolum diſtincte pronuncians , Beatiſſimæ Virginis ſub invocatione Roſarii præſidium implorans , ſeptima die Novembris prædicti Anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi tertii , tamquam Ovis , quæ a Lupo devoranda non gemit , non clamat , non queritur , ſed tacens mortem expectat , & dentibus cedit voracitatis , Capite truncatus eſt. Vincentio in eadem cauſa verſanti oblata erat opportunitas feralem ſententiam evadendi ; Regni enim leges ſolum Miſſionarios Europæos , non autem Indigenas ſupplicio afficiendos decernebant ; jamque nonnulli ipſius Cauſam iterum agi,ac recognoſci poſtulabant. Ipſe tamen ſociæ mortis æmulatione incenſus, atque invicto animo obſiſtens , ut communem cum Hyacinto habebat cauſam , ita parem ſententiam habere , & pro Chriſto mori cupiens , eodem mortis genere , eademque die Apoſtolatus ſui curſum gloriose conſummavit.

Confertiſſimum Chriſtianorum agmen , qui ſpectaculo intererant , exemplo Tobiæ , qui *plus Deum timens* , *quam Regem* , *occiſorum rapiebat Corpora* , *& mediis noctibus ſe-*

peliebat (*a*), Miſſionariorum Cadavera collecta, in Eccleſia Pagi *Trulmis* pio ritu tumularunt. Rex ira concitatus, efferatam contra Chriſtianos publico Edicto Perſequutionem indixit, qualem ſub Romanis Principibus deſcribit Sanctus Hieronymus (*b*); Unde Carceres oppleti, Pecuniæ extortæ, Templa deſtructa, Domus everſæ, Chriſtianorum ſeceſſiones ad Antra: Omnes tamen, devicta temporis adverſitate, fame, periculis contemptis, galea ſalutis induti, cuncta ſuperabant propter eum, qui dilexit nos.

Dum hæc legeremus, conſolationis lacrymis, gratiſque ſingultibus opprimebamur, videntes, quod noſtræ Fidei Veritas, quo magis offundi contenditur, eo lucidioribus radiis illuſtratur. Quæ de utroque Chriſti Pugile ex hactenus allatis Litteris annunciamus, plane indicant, odio in Catholicam Religionem adductum fuiſſe Tyrannum ad Religioſiſſimos Viros perimendos, eoſque pro Orthodoxa Fide mortem pertuliſſe; ex quo rite conſequitur, ex æquali cauſa, ex æquali ſupplicio æqualem CONSUMMATI-

MAR-

(a) *Tob. 11.9.*

(b) *De Script. Eccleſiaſt. in Origen.*

MARTYRII Palmam eſſe ab utroque reportatam.

Hoc fortiſſimorum Hominum Trophæum in memoriam Nobis revocat priſca illa tempora, quibus Chriſti Fides, cum per orbem terræ pullulatura fœcundius, innumerorum pene Martyrum ſanguine ſereretur, in Sinarum Imperium *(a)*, cujus ferunt olim Tonquinum fuiſſe Provinciam, vel ante Neſtorianam infectionem, pervaſit; lætamurque in Domino vehementer neque hodie deeſſe homines divites in Virtute, qui effuſo ſanguine eamdem Fidem illic inſtaurare contendunt. Scimus item alios plures inventos eſſe, qui non multis abhinc annis magna hac Martyrii laude præſtiterunt; Sed Hyacinthi, & Vincentii laus eo eſt utilior, & fructuoſior, quod ſua Corona, plurimis aliorum Martyrum Coronis addita, non ſolum longinquis iis Partibus profuerunt, ſed Noſtris etiam Regionibus prodeſſe maxime valent, in quibus hodierna ætate Chriſtiana Fides virulentis Doctrinis impetitur. Quic-

(a) *Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo (* Chriſto *) fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto: Ea .... ad unius credulitatis aſſenſum una concurrere gentes, & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes. Enumerari enim poſſunt, atque in uſum computationis venire ea, quæ in India geſta ſunt apud* Seras, *Perſas, & Medos &c.* Hæc Arnobius Lib. II. adverſ. Gentes pag. 50. Batav. Edit. anni 1651. Seras autem a Sinenſibus non diſcrepare; diligentiſſimorum Geographorum ſententia eſt. V. Chriſtoph. Cellarium Notit. Orbis antiq Tom.II. Lib.III. cap. 24. Sect. IV.

Digitized by Google

Quicquid contra nitantur Catholicæ Profeſſionis aggreſſores, intelligant ſane vel inviti neceſſe eſt, ad cetera Noſtræ Fidei certitudinis argumenta magnum accedere robur ex Martyrum Virtute & in moriendo alacritate. Quomodo enim ad Martyrium ultro plures accurriſſent, quam quibus interimendis ſufficeret ipſa ſævientium immanitas? Quomodo genere atque honoribus præſtantes, divitiis & vitæ commodis affluentes ad ſupplicia convolaſſent? Quomodo fuiſſent tot Virgines impavidæ, Adoleſcentes intrepidi, Rudes invicti, Tortores converſi, niſi *Deus legitimæ veritatis cauſſa certantibus inadſpectabili ratione adveniens, Martyrii peregiſſet curſum, ut qui ſolus ſenſum atque naturam vincere poſſit?* *(a)* Idcirco jure ac merito Sancti Patres docuerunt, per Martyrium diſcere homines Chriſto credere *(b)*; Ambigentes confirmari *(c)*; Religionem defendi; Eccleſiam roborari *(d)*.

Quapropter quanto acriores extiterunt Adverſariorum impetus; tanto Palmæ ex

(a) *S. Maximus Epiſt. ad Petrum Illuſtrem Tom. II. Opp. pag. 312.*

(b) *S. Maxim. Taurin. Homil. in Natal. SS. Tauricor. pag. 237. Heptad. PP. Theoph. Raynaudi.*

(c) *S. Baſil. Homil. 19. in Sanct. Quadrag. Tom. II. Oper. Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri p. 156.*

(d) *S. Ambroſius de Exceſſu Fratris ſui, ſeu de Fide Reſurr. Lib. 2. Tom. II. Opp. col. 1145. poſt r. Pariſ. Edit.*

Digitized by Google

ex feroɛientibus Tyrannis reportatæ, aliæ ex aliis uberiori ſemper germine pullularunt. Illuſtris de hoc eſt Sulpicii Severi ſententia :(*a*) Dum *Omnis*, inquit, *fere Orbis Sacro Martyrum cruore infectus erat, certatim glorioſa in certamina ruebatur; multoque avidius tunc Martyria glorioſis moribus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*. Conſonæ ſunt Patrum Adſertiones (*b*); Comprobant idipſum ſacra Monumenta; Apoſtolicarum Miſſionum propagatio confirmat.

Utinam igitur, noſtrorum Martyrum documento, Seculi hujus Sapientes falſis renuncient opinionibus, ſicut illi, pro Fidei veritate, Vitæ renunciarunt; & dum eos ſequi non poſſunt per ſupplicia, ſequantur per Virtutem. Utinam intimo corde recogitent (*c*): *Quod dum Martyres Nobis Fidem veram duro agone commendant, afflictionem præcedentium, inſtructionem Deus efficit Poſterorum; Illos examinat, ut Nos erudiat; Illos conterit, ut nos acquirat; Eorumque cruciatus noſtros vult eſſe profectus*. Poſt-

(a) *Lib. 2. Sac. Hiſt.*
(b) *S. Jo: Chryſoſt. Homil. II. in SS. Martyr. Juvent. & Maxim.*
S. Hieronym. Epiſt. ad Theophil. 82. Edit. Vullars.
S. Auguſtin. de Civit. Dei Lib. 22. Cap. 6.
S. Leo M. Serm. 34. Edit. Venet.
(c) *Auctor Serm. de SS. Nazar. & Celſo, Ambroſio olim tribut. in Append. Opp. Tom. II. col. 465. poſtr. Pariſ. Edit.*

Quicquid contra nitantur Catholicæ Profeſſionis aggreſſores, intelligant ſane vel inviti neceſſe eſt; ad cetera Noſtræ Fidei certitudinis argumenta magnum accedere robur ex Martyrum Virtute & in moriendo alacritate. Quomodo enim ad Martyrium ultro plures accurriſſent, quam quibus interimendis ſufficeret ipſa ſævientium immanitas? Quomodo genere atque honoribus præſtantes, divitiis & vitæ commodis affluentes ad ſupplicia convolaſſent? Quomodo fuiſſent tot Virgines impavidæ, Adoleſcentes intrepidi, Rudes invicti, Tortores converſi, niſi *Deus legitimæ veritatis cauſſa certantibus inadſpectabili ratione adveniens, Martyrii peregiſſet curſum, ut qui ſolus ſenſum atque naturam vincere poſſit?* *(a)* Idcirco jure ac merito Sancti Patres docuerunt, per Martyrium diſcere homines Chriſto credere *(b)*; Ambigentes confirmari *(c)*; Religionem defendi; Eccleſiam roborari *(d)*.

Quapropter quanto acriores extiterunt Adverſariorum impetus; tanto Palmæ

ex

(a) *S. Maximus Epiſt. ad Petrum Illuſtrem Tom. II. Opp. pag. 312.*

(b) *S. Maxim. Taurin. Homil. in Natal. SS. Tauricor. pag. 237. Heptad. PP. Theoph. Raynaudi.*

(c) *S. Baſil. Homil. 19. in Sanct. Quadrag. Tom. II. Oper. Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri p. 156.*

(d) *S. Ambroſius de Exceſſu Fratris ſui, ſeu de Fide Reſurr. Lib. 2. Tom. II. Opp. col. 1145. poſtr. Pariſ. Edit.*

Digitized by Google

ex ferocientibus Tyrannis reportatæ, aliæ ex aliis uberiori ſemper germine pullularunt. Illuſtris de hoc eſt Sulpicii Severi ſententia : (*a*) Dum *Omnis*, inquit, *fere Orbis Sacro Martyrum cruore infectus erat, certatim glorioſa in certamina ruebatur; multoque avidius tunc Martyria glorioſis moribus quærebantur, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*. Conſonæ ſunt Patrum Adſertiones (*b*); Comprobant idipſum ſacra Monumenta; Apoſtolicarum Miſſionum propagatio confirmat.

Utinam igitur, noſtrorum Martyrum documento, Seculi hujus Sapientes falſis renuncient opinionibus, ſicut illi, pro Fidei veritate, Vitæ renunciarunt; & dum eos ſequi non poſſunt per ſupplicia, ſequantur per Virtutem. Utinam intimo corde recogitent (*c*): *Quod dum Martyres Nobis Fidem veram duro agone commendant, afflictionem præcedentium, inſtructionem Deus efficit Poſterorum; Illos examinat, ut Nos erudiat; Illos conterit, ut nos acquirat; Eorumque cruciatus noſtros vult eſſe profectus*. Poſt-

(a) *Lib. 2. Sac. Hiſt.*
(b) *S. Jo: Chryſoſt. Homil. II. in SS. Martyr. Juvent. & Maxim.*
S. Hieronym. Epiſt. ad Theophil. 82. Edit. Vullars.
S. Auguſtin. de Civit. Dei Lib. 22. Cap. 6.
S. Leo M. Serm. 34. Edit. Venet.
(c) *Auctor Serm. de SS. Nazar. & Celſo, Ambroſio olim tribut. in Append. Opp. Tom. II. col. 465. poſtr. Pariſ. Edit.*

Poſtquam hæc Vobis ingenti animi gaudio commemoravimus, opportunum eſſe arbitramur jucunditatem Noſtram, non ſola enunciatione, ſed publica etiam ſignificatione exprômere. Idcirco cogitationem noſtram convertimus ad præclarum Prædicatorum Ordinem, omni commendatione digniſſimum, a quo, quemadmodum duo prælaudati Alumni huic Noſtræ Allocutioni jucundiſſimum argumentum præbuerunt; ita alii quamplurimi Sanctitate, Doctrina, Dignitate præſtantes jamdudum Noſtram excitarunt Devotionem, ut Illius Nomen aſſumeremus, qui Dominicanæ Familiæ ſimul, & Apoſtolicæ Cathedræ gloriam amplificavit. Ut igitur ſingularis Noſtræ benevolentiæ erga eumdem Ordinem teſtimonium exhibeamus, eum Purpura decorare ſtatuimus, qui a viginti ferme annis tanta illi præeſt cum laude, *ut nullius incongruæ voluntati deſerviverit* (*a*), Magiſtrum nempe JOANNEM THOMAM DE BOXADORS; a quo inſuper retineri volumus Generale Magiſterium, Noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito duraturum, perinde ac a Prædeceſſoribus Noſtris actum fuit in Promotione Cardinalium Cajetani, Juſti-

(a) *S. Gregor. Magn.* Lib. 3. *Epiſt.* 22. *ad Antonin. Subd. Tom.* 2. *Opp. Edit. Pariſ. Monach. S. Mauri.*

Digitized by Google

Juſtiniani, Gallamini, & Pipiæ, qui omnes ſimili honore decorati, in Generalitio Prædicatorum Magiſterio una cum Cardinalatu perſti terunt *(a)*.

Præterea ut Animi Noſtri lætitiam quiſque cumulatius comprehendat, declarare intendimus duos alios Collegas Veſtros, quos in Pectore reſervavimus in Conſiſtorio Secreto habito die 17. Julii currentis anni: Alterum FRANCISCUM MARIAM BANDITI, Archiepiſcopum Beneventanum: Alterum vero IGNATIUM BONCOMPAGNI, Pro-Legatum Bononiæ. Habemus in Primo egregia merita in geſto Epiſcopatu Montis Faliſci, & in Generali Præfectura ſui Ordinis Clericorum Regularium, a quibus Collegium Veſtrum habuit Cardinales non minus pietate, quam Litterarum ſcientia conſpicuos; & Catholica Religio Operarios

(a) *Breve Leonis PP. X. ſub Dat.* 1. *Jul.* 1517. *in Bullar. Prædic. Tom.* 4. *pag.* 355.
Breve S. Pii V. ſub Dat. 18. *Maii* 1570. *ejuſd. Bullar. Tom.* 5. *p.* 240.
Breve Bened. XIII. ſub Dat. 20. *Decemb.* 1724.
In eodem quoque ſupremo ipſiuſmet Ordinis Magiſterio perſtare voluit Innocentius PP. XI. Cl. Joannem Thomam de Rocaberti, & Antonium Monroy, ad Valentinum, & Compoſtellanum Archiep. promotos, uti ex Brevi ſub Dat. 18. Febr. 1677. in Bullar. Præd. Tom. VI. pag. 334.; & altero ſub Dat. 11. Jul. 1685. ibid. pag. 371. Præterea Benedictus XIII. Laurentio Cozza, Miniſtro Generali Ordinis Minorum, inter Cardinales adlecto, decrevit *munus Miniſtri Generalis ob ejus ad Cardinalatus dignitatem promotionem factam . . . non ceſſare. Brev. ſub dat.* 29. *Decembr.* 1726. cujus verba exhibet Benedictus XIV. ſub finem Epiſtolæ Card. Portocarrero inſcriptæ die 13. Octobr. 1745., & anno eodem editæ Typ. Cam. Apoſtol.

Digitized by Google

rios, qui in remotiſſimis Regionibus Orthodoxam Fidem diſſeminarunt *(a)*. Splendent in alio vividum Ingenium, agendi Robur; ut merito ſperandum ſit, quod æmulator ſiat Virtutum inſignium ejus Propinquorum, præſertim utriuſque Gregorii XIII., & XV., ac Alexandri VII. de hac Apoſtolica Sede, ac Romana Curia optime meritorum. Atque id conjicere jam nunc poſſumus ab aſſiduo, & plane feliciter impenſo ab ipſo ſtudio in exſiccatione Paludium Bononienſium, permagni quidem momenti opere; quod Nos impulit, ut jampridem declararemus, Nos illi veniam non daturos, ut ab incæpto, etiam poſt adeptum Cardinalatum, deſiſteret, quo magis in dies de nobis benemereri poſſit.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra declaramus S. R. E. Presbyterum Cardinalem FRANCISCUM MARIAM BANDITI, & Diaconum Cardinalem IGNATIUM

(a) *Silos Hiſtor. Cleric. Regular. Lib. 6. ad an. Chriſti* 1541. *Religion.* 18. „ Multis ſiquidem ab hinc annis noti Caucaſo, atque alieniſſimo Cœli Climati „ Clerici Regulares, ac jamdiu Theatinum nomen, virtutemque Orientalis „ Iberia, & Colchis, & Indica Gens præcipuo quodam affectu, ac veneratione complectuntur.

Digitized by Google

TIUM BONCOMPAGNI; Inſuper creamus Presbyterum Cardinalem IOANNEM THOMAM DE BOXADORS, cum Derogationibus, & Clauſulis neceſſariis, & opportunis, & præſertim quod Conſtitutiones, Decreta, Leges, Uſus, & Conſuetudines in Ordine Prædicatorum vigentes non obſtent præfato Cardinali IOANNI THOMÆ in proſequutione Magiſterii Generalis ejuſdem Ordinis, ut prius.

In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii,
& Spi ✠ ritus Sancti. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google